

1578

gno a Molucco pulsus, ipsius Regis ope ad suas ditiones recuperandas magna spe enectus, haud dubiam ei victoriam vel Lusitanarum virium robore, vel populorum in se propensiōne pollicebatur. Itaque Sebastianus, qui vix vigesimum aetatis annum attigerat, duodecim bellatorum millibus in Lusitania coactis, sexcentis Italib⁹ peditibus, qui, Hiberniæ Marchiedone duce, a Pontifice ac Philippo in Hiberniam mittebantur, interceptis, tribus Germanorum millibus a Vilielmo Arauſionensi Principe acceptis, ad hæc equitibus mille ac quingentis cum Lusitanæ nobilitatis ac juventutis flore, quatuor viris, qui se absente, regno præfessent, relictis, in Ulisiponensi portu classem, quæ mille navigatorum numerum excederat, conſcendit, in Africamque trajecit. Educto exercitu, intra paucos dies hostis in conspectum se dedit, qui copiarum suarum numero, quæ decem peditum, quadraginta equitum millibus constabant, fretus, cum neque numero, neque virtute, neque militari disciplina Lusitanos præstare intelligeret, opportunō loco castris positis, in eas angustias Sebastianum compulit, ut vel prælium detrectando, commeatuum inopia, aut turpi fuga, nulla salutis spe caderet, vel pugnam ineundo, certo exitio (uti contigit) fese objicere cogeretur. Nam undique a Mauris circumventus, quamvis Itali ac Germani ingenti ausu hostium impetum sustinerent, Rex ipse animi vi-
gore, quem ætas acuebat, plus privati militis, quam ducis munere fungeretur; Mauri tandem victores Lusitanos fundunt, cædunt, obtruncant, capiunt. In ea pugna primores Lusitanæ nobilitatis, atque Sebastianus occubuerent. Inde Lusitanæ regno ex Regis obitu, nullis relictis filiis, ingens, nec unquam sarcenda jactura accessit. Qua ex re quantum ea consilia, quæ vel animi impetu, vel ingenti magnarum rerum spe, non prudētia ac maturitate fulta suscipiuntur, regnis, rebusque publicis semper offecerint, dignosci potuit.

M. D. LXXVIII.

Sebastiano Lusitanæ Regi Henricus patruus, Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum nuncupatus, Joannis Regis filius, Emanuelis nepos, exacta fere ætate, absque libe-

Sebastianus
Lusitanæ
Rex expedi-
tionem
Africanam
decernit.

Lusitanorū
profligatio,
& Sebastiani
Regis in-
terfæctio.

1579

Henricus
Cardinalis
Lusitanæ
regnum sus-
cepit.